

CASUS DE BAPTISMO

SEU

De materia, forma, Ministro et subjecto Baptismi.

CASUS I.

MATERIA BAPTISMI.

LUCIANUS, Parochus, cum in pagum, ab Ecclesia spatio mediæ horæ dissitum, perrexisset, alicujus ægroti invisendi gratia, et, peracto munere, esset reversurus, oblatus est ei infans baptizandus. Jussit illum ad Ecclesiam deferri. Præibant mulieres, baptizandum deportantes; subsequetur Parochus, recitandis Horis canonicis intentus. Sed ecce! dimidio itineris emenso, inopinate advertunt mulieres infantem jamjam agonizare. Clamores inaudiens advolat Pastor, anxietate percitus. Sed quid consilii infelix suscipiet? nullius enim generis aqua in promptu habetur. Sed ecce repente pluvia ab alto decidens ejus angustias sedat et comprimit. Acceptum ocius infantem cadenti pluviae subjicit, dicens: *Ego te baptizo*, etc. Vix autem formam Baptismi compleverat Sacerdos, cum infantulus candidam efflat animam.

Mulieres, magis ac magis ejulantes, a Parocho petunt utrum rite baptizatus fuerit, et ad cœlites avolaverit? *Ita sane*, respondit bonus Parochus.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quænam sit materia Baptismi?*

2^o *An in casu validus fuerit Baptismus?*

3^o *An validus fuisset, si una e mulieribus flevisset super caput infantis, verba formæ simul proferendo?*

SOLUTIO :

184. — *R. ad 1^m Quæ.* Materia valida est aqua naturalis quælibet; licita vero, extra casum necessitatis, est sola aqua benedicta, seu consecrata et Chrismate immixta, saltem pro Baptismo solemni. In periculo mortis, deficiente materia certo valida, materia dubia sub conditione adhibenda est. *V. Comp. n. 236.*

185. — *R. ad 2^m Quæ.* *Affirm.* Validus est enim Baptismus cum aqua pluviali collatus, quia aqua pluvialis est aqua naturalis, *juxta omnes. S. Lig. n. 103.* Nec obstat quod Parochus infantem pluviae cadenti subjecerit. Nam eo modo infantem vere abluit. *Ita S. Lig. n. 106, et alii communiter.* Attamen, ad honestatem et reverentiam Sacramento debitam, aquam in vola manus colligere et frontem infantis cum illa abluere debuisset.

Lacrymas igitur cohibete, o piæ mulieres! Consolamini! Imo gaudete potius et exultate, quia aqua pluviali valide baptizatus est puerulus, et reapse ad cœlites avolavit, et choris Angelorum adscriptus, Angelus et ipse, cum Beatis hymnos cœlestis gloriæ jam decantat, et in æternum decantabit!

186. — *R. ad 3^m Quæ.* *Nego* prorsus, quia lacrymæ non sunt aqua naturalis, nec proinde materia valida Baptismi. Ergo, etiam deficiente quacumque aqua, frustra mulier super infantem lacrymaretur. Ita communissime Theologi. *S. Lig. n. 104. — Elbel, n. 13, et alii communiter.*

CASUS II.

MATERIA BAPTISMI PROXIMA.

RANULFUS, recens Parochus constitutus, ex certa relatione accipit, a pluribus annis, ab antecessore suo infantes invalide fuisse baptizatos. Hic enim senex, ex contracta consuetudine et præcipatione, formam Baptismi proferendo, verbum aliquod essenziale omittere solitus fuerat. Tanto malo remedium efficax afferre statuit RANULFUS. Ut autem tam saluti parochianorum quam famæ antecessoris consulere prudentissimus vir, quærit in libro baptizatorum quinam fuerint ab eo baptizati, et postea eorum parentes invisendo, quos reperit adhuc juniores, digito aqua lustrali bene madefacto, signo crucis in fronte signat; adultiores vero aqua lustrali aspergit, alios comiter ad se invitat, eosque in discessu, eodem modo aspergit, licet plures simul convenerint, formam Baptismi tacite pronuntians.

HINC :

QUÆR. 1^o *An RANULFUS valide baptizaverit, signando parvulos digito aqua lustrali madefacto?*

2^o *An valide baptizaverit, alios aspergendo?*

3^o *An valide plures simul baptizaverit?*

4^o *An una sola gutta, vel altera, ad validum Baptismum sufficiat, etiamsi in manus vel pectus baptizandi, aut in ejus vestes vel crines cadat?*

SOLUTIO :

187. — *R. ad 1^m Quæ.* RANULFUS valide baptizavit parvulos digito aqua bene madefacto signando in fronte, et prioribus verbis formæ Baptismi tacite, quo res lateret, prolatis, reliqua elate proferendo, quia iis vere fuit applicata materia per contactum successivum: ergo vere dici possunt abluti. Ergo prudenter et laudabiliter egit bonus Pastor. *Voit, n. 146. — S. Lig. n. 107, Quæ. 6^o, et alii communiter.*

188. — *R. ad 2^m Quæ.* *Distinguendum.* RANULFUS valide baptizavit adultos per aspersionem, si tantum aquæ in eorum vultus injecerit, ut non tantum haberetur contactus aquæ ad frontem, sed aqua de parte ad partem defluerit; quia, per ejusmodi contactum successivum, vera

ablutio habetur. Secus vero, si paucae guttulæ corpus contingant, et immotæ adhæreant, eo quod tunc non potest dici facta ablutio. *Voit, ibid.*

Sed imprudenter modum istum adhibuit Parochus, cum tam facile fieri possit ut ablutio proprie dicta deficiat, nisi procuraverit ut aspersio copiosa in singulos haberetur. Industria cum parvulis adhibita *per se* tutior omnino est. Sed quæstio de intentione sufficienti adultorum ad Baptismum valide recipiendum, moveri potest. Etenim adultus Sacramentum recipere nequit, nisi velit; porro recipere non vult ignorans illud sibi conferri: ignoti enim nulla cupido, seu nulla voluntas. Sed respondetur quod ad Baptismum sufficit intentio *habitualis*, seu *implicita*, juxta omnes: atqui homines modo christiano viventes, ut sunt prædicti adulti, eo ipso quod se baptizatos existiment, illa intentione *habituali* et *implicita* gaudent; etenim, si scirent se baptizatos non esse, Baptismum certo cuperent, et hic et nunc sunt ita dispositi, ut peragere velint ea omnia quæ ad salutem consequendam necessaria sunt. Ergo valide baptizati censendi sunt.

189. — *R. ad 3^m Quæst.* RANULFUS valide plures simul baptizavit, si singulos ita asperserit ut vere abluti censeantur, juxta superior dicta, et formam in numero plurali simul protulerit, seu aspergendo dixerit: *Ego vos baptizo*, etc... Sed nemo non videt quantum sit periculum invaliditatis in hujusmodi baptizandi modo, qui propterea, secluso casu urgentissimæ necessitatis, nunquam adhibendus est. Porro in casu nostro nulla prorsus urgebat necessitas; poterat enim facile Parochus singulos aspergere, vel tutius eos in fronte aqua sufficienti signare, fingendo eos benedicere, ut erga parvulos ipse Parochus jam peregerat.

190. — *R. ad 4^m Quæst.* 1^o Certo non sufficit una vel altera gutta, si non fluat. Si vero fluat et decurrat, *controvertitur*. Multi *negant* hoc ad validitatem satis esse; *probabilius* vero materia dubia esset. Esset tamen materia *certa*, si baptizans digito bene madefacto percurreret varias partes capitis baptizandi, ut supra dictum est. *S. Lig. n. 107, Quæst. 6^o.*

2^o Baptismus collatus in parte minus præcipua corporis, seu in manu vel in pede, dubie validus esset. Hinc si quis, urgente necessitate, sic baptizatus esset, iterum conditionaliter baptizandus foret. *S. Lig. n. 107, Quæst. 3^o.* Baptismus autem collatus in aliqua parte præcipua corporis, sed non in capite, v. g. in pectore, probabilissime validus esset. Attamen, cum de hoc non omnes conveniant, ad majorem cautelam Baptismus sic collatus, sub conditione iterandus esset. *S. Lig. n. 107, Quæst. 4^o, post S. Thomam.*

3^o Baptismus collatus in vestes baptizandi, prorsus invalidus est. Ratio est, quia vestes minime ad corpus pertinent. Igitur, si abluantur vestes, non ideo abluatur corpus. Probabiliter vero valet Baptismus in crinibus collatus, quia, licet capilli non sint animati, non sunt tamen pura excrementa, sed sunt partes corporis, sicut cutis exterior. Hinc Baptismus in crinibus collatus, sub conditione est repetendus. *S. Lig. n. 107, Quæst. 3^o.*

CASUS III.

FORMA BAPTISMI 1^o.

ANNA, obstetrix, sæpius versatur in necessitate baptizandi infantes recens natos et de vita periclitantes, quod magna devotione peragit; ut autem divinas Personas in formæ prolatione melius exprimat, nonnihil in forma consueta immutare solet. Hinc: 1^o aliquando dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris, et in nomine Filii, et etiam in nomine Spiritus Sancti*; 2^o alias: *Te baptizo in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; 3^o alias: *Te baptizo in Patre Omnipotente, et in Filio Unigenito, et in Spiritu Sancto Paracleto*; 4^o alias tandem: *Te baptizo in nomine Dei Patris, Dei Filii, et Dei Spiritus Sancti*. ALBERICUS, Parochus, cum morem ANNÆ casu rescivisset, declaravit omnes infantes sic baptizatos, invalide prorsus tinctos fuisse, et modo absoluto rebaptizandos esse, quod nulla interposita mora exsequitur.

HINC:

QUÆR. 1^o *An Baptismus cum prædictis formis collatus reapse fuerit invalidus?*

2^o *Quid de ratione agendi Parochi?*

3^o *An rebaptizari possint, saltem sub conditione, omnes infantes ab obstetricibus baptizati?*

SOLUTIO:

191. — *R. ad 1^m Quæst.* — *Ad 1^m casum.* Probabilius valet hæc forma; at plures negant valere, et proinde ut dubia habenda est. Ratio autem dubitandi est, quia hac forma minus recte exprimitur Unitas personarum in essentia divina.

Ad 2^m casum. Forma invalida est; videtur enim *pluralitas naturarum* exprimi per *10 nominibus*. *S. Lig. n. 108. — Voit, n. 158. — Reuter, n. 91.*

Ad 3^m casum. Forma pariter invalida est, quia, licet exprimat Trinitas personarum, earundem tamen unitas desideratur, vel non satis exprimitur. *Voit, ibid.*

Ad 4^m casum. Dubia est forma, quia Unitas divinæ essentiæ non satis exprimi videtur. Probabilius tamen valida est, quia sensus formæ essentialiter non mutatur; sed Baptismus, ob controversiam, repetendus est. *S. Lig. n. 108.*

192. — *R. ad 2^m Quæst.* Recte quidem egit ALBERICUS, Parochus, omnes infantes ab ANNA baptizatos rebaptizando, cum illa formam vitare solita fuerit. Sed erravit utendo forma absoluta, siquidem non pauci infantes probabiliter valide ab obstetrice abluti sunt.

193. — *R. ad 3^m Quæst.* *Neg.* Sunt enim casus in quibus moraliter constare potest de Baptismi validitate, v. g. si fiat ab obstetrice valde perita. Etenim Baptismus iterari nequit, nisi adsit suspicio vere fundata erroris in ejus collatione. *S. Lig. n. 136, ubi dicit veram esse sententiam.*

V. Comp. n. 249. — Recte tamen sentit Gousset, n. 82 : conditionaliter rebaptizandum esse infantem qui, ob instans mortis periculum, baptizatus est dum ederetur, etiamsi in capite ablutus fuerit; quia baptizans quilibet, ex trepidatione animi, aut præoccupatione mentis ex circumstantiis exorta, facile aliquid essenziale omittere potest, quin advertat. Concinit Gobat, his verbis (n. 180) : « Imperitiæ obstetricis accedit terror et trepidatio. Cum enim non debeant a laicis baptizari parvuli nisi imminente periculo mortis, illud periculum versans ob oculos, lamenta quoque matris quibus verberantur aures, labor et vigilia quibus crebro defatigantur obstetrices, vinum quo volunt sibi facere animos, et alia hujusmodi, efficiunt ut facile turbentur, et illam unciam iudicii, seu prudentiæ qua plebeiæ mulieres pollent, prope amittant. »

Attamen exceptiones admittit Gobat. Sic enim subdit, n. 183 : « Quando obstetrix est integræ famæ, animosior ac circumspectior quam vulgus mulierum, versata jam in pluribus periculis hujusmodi, et probata super omnia probe egisse, tum ne sub conditione quidem rebaptizanda est proles, quam hæc asserit esse a se legitime baptizatam. » Ratio est, quia in iis circumstantiis non potest esse dubium prudens de vero Baptismo.

CASUS IV.

FORMA BAPTISMI 2°.

1° DAMIANUS, Sacerdos, cum eximiam concionem ad populum habuisset, ei occurrens vetula quædam, congratulata est, et præ gaudio lacrymando dixit : *Benedicta sit dies in qua ego te baptizavi in nomine SS. Trinitatis, Beatæ Virginis Mariæ, et omnium Angelorum.* — Quid est quod dicis? exclamat DAMIANUS obstupefactus. Rem totam ei narravit vetula.

2° LAURA, obstetrix sexagenaria, quadam die obviam fit GELASIO, Parocho, et sic eum effata est : *Te, Reverende Domine, majoris quam reliquos meos cognatos facio; tibi enim quam strictissime conjungor cognitione spirituali, ab ipso Baptismo exorta : siquidem ego te graviter perichlitantem domi baptizavi.* — Attonitus Parochus, animoque perturbatus : *Sed, mater, ait, quid igitur dixisti, dum me baptizares?* Respondit illa : *Dixi : Ego te baptizo in nomine Omnipotentis, et Christi, totiusque ejus Ecclesiæ.*

HINC :

QUER. 1° *Quid de valore utriusque Baptismi?*

2° *An, vel quomodo iterandus Baptismus et Ordo?*

3° *An Sacerdos sub conditione denuo baptizatus ob Baptismum dubium, aut certo invalidum, debeat non solum ordinari iterum Sacerdotio, sed etiam aliis Ordinibus inferioribus?*

QUER. 4° *Ad quid teneatur talis Sacerdos rebaptizatus quoad absolutiones a se impertitas, et matrimonia ab ipso benedicta?*

SOLUTIO :

194. — R. ad 1^m Quæst. 1° Prior Baptismus est probabiliter invalidus. Etenim ex una parte saltem dubius est, eo quod non expressæ fuerint distincte singulæ personæ SS. Trinitatis; ex alia parte valde dubius etiam est ob additionem verborum, *Beatæ Virginis et omnium Angelorum.* Videtur enim mulier hæc adjecisse ex mente erronea, seu ex persuasione virtutem Baptismi etiam ex meritis *B. Virginis et Angelorum* hauriendam esse.

2° Posterior vero Baptismus prorsus invalidus est, tum quia persona Spiritus Sancti non exprimitur, tum quia Ecclesia ei subrogatur. V. Comp. n. 242. — S. Lig. n. 111.

195. — R. ad 2^m Quæst. In primo casu Baptismus et Ordo sub conditione iterandi sunt, sed secretissime, ad præcavenda incommoda quæ secus inde sequerentur.

In secundo casu utrumque Sacramentum modo absoluto iterandum est, quum utrumque invalidum fuerit. Attamen GELASIO, Parochus, iterum baptizatus, non tenetur, cum rigore loquendo, Ordinem suscipere : posset enim statum clericalem deserere, et matrimonium inire, siquidem nullo laborat impedimento. Verum, si hanc partem amplecteretur ad scandalum vitandum, et fidelium offensionem gravissimam præcavendam, petere longinquam regionem deberet, in qua prorsus incognitus foret.

196. — R. ad 3^m Quæst. 1° Ratione validitatis, non essent necessario iterandi alii Ordines inferiores, quia Sacerdotium illos naturaliter continet; nec isti sunt gradus *per se* necessarii, ad supremum gradum assequendum. S. Thom. Suppl. 3. part. quæst. 35, art. 5.

2° Ex præscriptione tamen Ecclesiæ supplendi sunt alii Ordines, si quis per saltum ordinatus est. Si quis autem invalide ordinatus est, v. g. ob defectum Baptismi, omnes Ordines recipere debet. Sic ex Declaratione Innoc. XI. — V. Gobat, n. 438.

197. — R. ad 4^m Quæst. Quid vero de Sacramentis invalide a fidelibus susceptis, ob defectum Ordinationis Parochi? Practice ad duo tantum, seu ad Pœnitentiam et Matrimonium reducuntur, siquidem nihil reparandum pro Eucharistia et Extrema Unctione invalide ministrata. Quod ad Pœnitentiam attinet tanta est difficultas, ut ea jam evanescat, quia reparatio fit moraliter impossibilis. Quare pœnitentes absoluti in bona fide relinquendi sunt, et per subsequentem confessionem ab omnibus peccatis præteritis indirecte absolventur. Gobat, *ibid.* Matrimonia autem a GELASIO benedicta non censentur invalida defectu ministri, cum Sacerdos non sit minister Sacramenti matrimonii, sed defectu præsentiae Parochi, ut testis necessarii et legitimi. Forte dici posset, hæc matrimonia evadere valida propter impossibilitatem ad verum Parochum recurrendi; talis enim impossibilitas, non solum physica, sed etiam moralis, a lege Ecclesiæ circa impedimentum clandestinitatis excusat, si generalis sit, ut in

casu habetur. Quidquid sit, tutius erit ad S. Sedem recurrere ad obtinendam dispensationem secretam *in radice*. Sponsi vero in bona fide relinquendi sunt. *V. Comp. n. 901 et seq.*

CASUS V.

MINISTER BAPTISMI 1°.

1° SYMPHOROSA, materfamilias, advertens prolem suam recens natam in magno vitæ periculo inopinate versari, in clamores et ejulatus erumpit. Accurrit SIGISMUNDUS, maritus, adveniunt simul filii et famuli. « Cito afferte aquam, clamat SIGISMUNDUS, ut infantem baptizem. — Hoc munus meum est, ait MARCUS ejus filius, Clericus, Ordinibus minoribus insignitus, et theologiæ candidatus. — Advocate Parochum, ait mater; cum enim prope sit, statim aderit. » Interea MELANIA, ancilla, aquam infundens in caput infantis, verba formæ Baptismatis profert, et paulo post novus ille Dei Angelus ad cœlites avolat.

2° DANIEL, Diaconus, absente Parocho per plures dies, ex ejus præsumpto consensu, puerum in Ecclesia parochiali solemniter baptizat. Redux autem Parochus, eum de gravi peccato arguit, quia, secluso necessitatis casu, Diaconus delegatione explicita indiget ad baptizandum solemniter; debuisset igitur vel Parochum expectare, vel alium Sacerdotem accersere.

HINC :

QUER. 1° *Quis sit minister Baptismi sive ordinarius, sive extraordinarius?*

2° *Quis potuerit vel debuerit baptizare in primo casu? An peccaverit graviter ancilla, in præfatis rerum adjunctis baptizans?*

3° *An DANIEL, Diaconus, recte egerit, aut graviter peccaverit, et an irregularitatem incurrerit?*

SOLUTIO :

198. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° Solus Sacerdos est minister ordinarius Baptismi. Ex Jure canonico constat. Diaconus est minister extraordinarius Baptismi solemniter, et quilibet homo, sive vir sive mulier, sive catholicus sive infidelis, est minister extraordinarius Baptismi privati pro casu necessitatis. *Vid. Comp. n. 243.* Solus Parochus, vel delegatus, extra causam necessitatis baptizare potest. Sic ex *Jure can.*

2° In Baptismo privato, urgente necessitate, conferendo; si adsit Sacerdos, præferri debet Diacono, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir mulieri; nisi pudoris gratia deceat mulierem, potius quam virum, baptizare infantem non omnino editum, vel nisi mulier sit peritior, sicut facile evenire potest. *Rit. Rom.*

199. — *R. ad 2^m Quæst.* Debuit advocari Parochus, si revera statim adesse, vel aliquantisper expectari potuerit. Parocho absente, MARCUS,

Clericus baptizare debuit. An vero eo casu MELANIA, ancilla, graviter peccaverit? Distinguendum est. *Affirm. per se*, si facile Parochus expectari potuerit; secus vero, eo deficiente, quia non videtur tanta deordinatio, quod mulier coram MARCO, Clerico, minoribus Ordinibus tantum insignito, vel coram SIGISMUNDO, viro, infantem baptizaverit.

200. — *R. ad 3^m Quæst.* 1° Peccavit graviter DANIEL, Diaconus, baptizando solemniter absque delegatione, vel absque necessitate, quia actum jurisdictionis parochialis usurpavit. Imo Diaconus delegari nequit a Parocho ad baptizandum solemniter, nisi ex aliqua gravi causa, quia in præsentia disciplina Ecclesiæ non est nisi minister *extraordinarius*. *Collet de Baptismo, c. 5.*

2° DANIEL, baptizando solemniter absque delegatione, pœnam irregularitatis incurrit, ob usurpationem actus Ordinis, ad quem non est ordinatus. Constat ex *Jure can. c. 1, de Clerico non ordin. minist.*

CASUS VI.

MINISTER BAPTISMI 2°.

1° NISANDER, paterfamilias, cum dissidium aliquod cum proprio Parocho haberet, noluit prolem suam ei baptizandam afferre, sed ad Parochum alienum deferri jussit.

2° AMELINA, mulier catholica, virum protestantem habens, valde exoptat prolem suam, recens natam, ad Parochum loci deferri baptizandam. Maritus autem jubet eam ad ministrum suæ sectæ deferri. Ingemiscit et illacrymatur pia mater, ex eo quod voti sui compos fieri nequeat. Sed ecce! industria in mentem ipsi venit, qua tanto malo certa ratione medeatur. Qualis? Ipsa prolem domi baptizat, priusquam ad ministrum asportetur.

3° SABINA, mulier gravida, cum, iter agendo, partus dolores experiretur, sese in proximum hospitium recepit, et ibi, seu in aliena parochia, prolem suam peperit, quam illico loci Parocho baptizandam obtulit.

HINC :

QUER. 1° *An NISANDER prolem Parocho alieno offerendo baptizandam, et Parochus ille eam baptizando, graviter peccaverint?*

2° *An recte egerit AMELINA in secundo casu? Quid, si proles non fuisset ad ministrum deferenda, nisi post multum tempus?*

3° *Quid de illis qui filios ministro hæretico baptizandos deferunt? Quid, si lege principis hæretici ad id urgeantur?*

4° *An recte egerit SABINA in tertio casu?*

SOLUTIO :

201. — *R. ad 1^m Quæst.* Uterque peccavit graviter. Ratio est, quia,

licet baptizare non sit actus jurisdictionis erga baptizandum, cum nemo nondum baptizatus Ecclesiæ subjiciatur, est tamen actus habentis jurisdictionem in fideles quibus baptizandus aggregandus est. Ergo Parochus alienus, jurisdictionem illam usurpando, peccavit graviter. Sed paterfamilias etiam similiter peccavit peccato cooperationis, et peccato vindictæ et injuriæ in proprium Parochum.

202. — *R. ad 2^m Quæst.* Non recte egit AMELINA, quia causa fuit cur puer bis baptizaretur. Minus enim malum est, quod infans baptizetur ab hæretico, quam eum rebaptizari. *Voit, n. 160.* — *Lugo, etc.* Attamen culpanda non esset mater, si diu expectandus esset Baptismus ministri cum periculo ne prius moreretur infans. Quid vero, si dubitaret an valide baptizandus esset a ministro hæretico? — *R.* Si infans mox ad illum esset deferendus, expectare deberet, et postea cum conditione illum rebaptizare. Si vero diu esset expectandum, statim modo absoluto eum baptizare posset, ut mox dictum est.

203. — *R. ad 3^m Quæst.* Peccant graviter prolem deferentes ad ministrum hæreticum, ut baptizetur, quia hoc est tacite profiteri illum esse legitimum ministrum talis cæremoniæ; imo foret communicare cum eo in Sacris. Præterea minister hæreticus, sicut quilibet alius laicus, extra casum necessitatis baptizans, graviter peccat. Ergo is qui infantem baptizandum offert ei, peccat ejus peccato cooperando. Imo, nec licitum est parentibus filios deferre ad ministrum hæreticum, ut ab eo baptizentur, etiamsi lege principis hæretici urgerentur, quia hoc esset *vere communicare in Divinis*. Eruitur ex Epistola encyclica Pii VI, *Laudabilem*, missa ad omnes Episcopos Galliæ, die 26 Sept. 1791, in qua Pontifex prohibet ne fideles filios suos baptizandos sacerdotibus intrusis offerant, etiamsi filii secus non essent agnoscendi ut legitimi: *quamvis, ob legitimæ probationis defectum, suorum natalium jure carere, aut gravius quodlibet malum pati cogentur.*

204. — *R. ad 4^m Quæst. Affirm.*, quia non debet differri Baptismus donec proles ad Parochum matris afferri possit; et tunc Parochus loci fit proprius Parochus erga infantem baptizandum. Excipe, nisi forte pagus ille a pago proprio parum distet. *S. Lig. n. 114.*

CASUS VII.

SUBJECTUM BAPTISMI.

1^o JOACHIMUS, Religione judæus, iter agens per catholicam regionem, in gravem morbum incidit, et mox omni sensu destitutus, jam morti proximus est. De re admonitus DAMASUS, loci Parochus, festinanter ad moribundum advolans in eo quærit signum aliquod rationis, et doloris de peccatis, sed incassum. Hæret anceps, nesciens quid sit agendum; denique judæum, sub conditione, baptizare statuit.

SYLVINUS, apud infideles Missionarius, incidit in moribundum adultum, sed amentem; nec rescire potest utrum, decurrente vita, intervalla lucida rationis habuerit. Quid ei consilii capessendum? Recordatur de

axiomate: *Sacramenta propter homines*, et eum aqua baptismali regenerat.

3^o TIBURTIUS, infidelis, de vera Fide edoctus, Baptismum a Missionario postulat. Sed pravo habitu inquinatus, in ipsa Sacramenti susceptione, affectum secretum ad peccatum servat.

HINC:

QUÆR. 1^o *Quænam sit dispositio in subjecto adulto, ad Baptismum licite et valide suscipiendum?*

2^o *An DAMASUS, Parochus, recte egerit baptizando judæum sensibus destitutum et moribundum, in primo casu?*

3^o *An pariter recte egerit SYLVINUS, Missionarius, infidelem amentem et moribundum baptizando, in secundo casu?*

4^o *An TIBURTIUS effectus Baptismi susceperit in tertio casu, et an peccatum originale in eo deletum fuerit?*

SOLUTIO:

205. — *Resp. ad 1^m Quæst.* In subjecto adulto requiritur, ad Baptismi validitatem, voluntas, saltem *habitualis et implicita*, illud recipiendi Sacramentum. Ad licitatem autem susceptionem, requiritur dolor de peccatis, seu attritio cum actibus saltem implicitis Fidei. *V. Comp. n. 228.*

R. ad 2^m Quæst. Recte egit Parochus, si audiverit judæum ante morbum, vel in ipso morbo ostendisse voluntatem Religionem christianam amplectendi. Secus *controvertitur*. *Negat Moulet, t. 2, p. 389*, talem judæum posse baptizari, quia in eo casu nulla supponi potest intentio Baptismum suscipiendi; sed sententia opposita absque temeritate teneri potest; imo est omnino suadenda. Cur enim nulla supponi potest voluntas Baptismum suscipiendi? Numquid, ex eo quod nullam intentionem manifestaverit, concludi potest eum nullam habuisse? Nequaquam. Nam inter centum vel mille infideles, in simili casu versantes, potest esse unus qui christiane mori velit. Porro satis est, ut singulis Baptismus sub conditione conferatur. Excipe, si, paulo ante mortem, in Religionem catholicam invecus fuerit; quia tunc minime censendus est in ea velle cooperari, cum ab ea paulo ante adeo abhorreret.

206. — *R. ad 3^m Quæst. Affirm.* modo baptizaverit sub conditione, quia dubitat SYLVINUS utrum infidelis ille intervalla lucida rationis habuerit, necne; etenim, si habuit, potuit Baptismum desiderare, et proinde valide baptizari potest: ergo sub conditione baptizandus est, quia succurrendum est proximo versanti in extrema necessitate spirituali, quo meliori modo fieri potest, etiam cum tenui probabilitate efficaciam Sacramenti.

Resp. ad 4^m Quæst. TIBURTIUS valide baptizatus est, non obstante affectu ad peccatum mortale, ut patet: porro si valide baptizatus fuerit, characterem sacramentalem recepit, quia Baptismus validus characterem, seu signaculum spirituale et indelebile in animo baptizati imprimat; sed is non recipit hic et nunc effectus Sacramenti, qui a gratia divina pendet. Proinde, neque peccatum originale, neque peccata ejus actualia deleta sunt; siquidem peccatum deleri nequit, nisi per infusionem gratiæ